



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXV. De Baptismo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

probabilior? *Resp.* Regulam esse, ut in Sacramentis necessariis ad salutem, non sit licitum adherere opinioni probabili, & relinquere probabilior; in ceteris vero sit licitum. DD. apud Coton. *dict. lib. 2. contr. 1. cap. 2. num. 52. & 53.* Qui tamen num. 54. advertit, nunquam licere operari secundum opinionem probabilem, quando operatio fieri potest secundum probabilior in Sacramentis, tum ob eorum reverentiam, tum ob utilitatem suscipientis. Hodie tamen damnata est opinio contraria ab Innocentio XI Anno 1679. 2. Martii, ut in Propositione prima. De qua bene disserit Carden. in *Crisi Theol. dissert. 2.* circa omnia Sacramenta, ad quem studiosi recurrant.

26. *Quer.* Quid agendum à Ministro, si dubitare contingat circa sufficientiam materiae pro conficiendo Sacramento? V. gr. An hæc aqua sit naturalis pro baptizando vel panis non corruptus pro consecrando? *Resp.* Regulam communem esse, quod si urgeat necessitas, favendum sit utilitati suscipientis, & sic resolvendum pro sufficientia materiae. Si vero necessitas non urgeat, sit favendum reverentiae Sacramenti, & sic habendam non esse materiam pro sufficienti juxta doctrinam Scoti, quam refert, & sequitur Coton. *ubi supra num. 57.* cui addere non esset incongruum, quod in prædicto casu, si nulla alia materia haberi posset, & urgeret necessitas conficiendi Sacramenti, esset sub conditione conficiendum, si scilicet materia sit sufficiens.

27. *Quer.* An ob gravem metum licitum sit simulare administrationem Sacramenti, conficiendo illud, vel administrando sine intentione conficiendi, vel administrandi? *Resp.* Negative. Et contrarium dicere est opinio damnata ab Innocentio XI. in *Propos. 29.* Quod est intelligendum, si proferantur verba formæ Sacramentorum sine intentione. Secus si verba aliena, ut docet Cardenas in *Crisi dissert. 20.*

28. *Quer.* An ad valorem Sacramenti requiratur intentio in suscipiente? *Resp.* Quod in adultis requiritur intentio saltem implicita recipiendi id, quod ei administrare intendit Ecclesia. S. Thom. 3. part. *quest. 68. art. 7.* Coton. *ubi supra num. 58.* ubi notat etiam habitalem intentionem sufficere in suscipiente; quia est differentia inter suscipientem, & conficientem Sacramentum, nam iste est agens, ille patiens, & in patiente ad voluntarium minus requiritur; adeo ut in suscipiente sufficiat etiam voluntas coacta, vi, & metu extorta. Diana *part. 5. tract. 13. res. 32.* In parvulis vero non est necessaria intentio in suscipiendo Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Ordine: hæc enim omnia Sacramenta valde iisdem conferuntur. *cap. Unico de Cleric. per salt. promot. S. Thom. in addit. ad tert. part. 9. 39. art. 2.* ubi tamen excipit ordinem Episcopatus; quamvis alii gravissimi Theologi etiam Episcopatus ordinem puero valide conferri teneant, non autem jurisdictionem, & administrationem. Dian. *part. 8. tract. 1. res. 32. & part. 12. tract. 1. resol. 48.* Coton. *ubi supra num. 58. & lib. 3. contr. 1. n. 44. & 45.*

29. *Quer.* An suscipiens Sacramentum de-

beat esse in gratia? *Resp.* Affirmative, si agatur de Sacramentis vivorum; secus autem de Sacramentis mortuorum, quæ sunt Baptismus, & Pœnitentia. Coton. *dict. lib. 2. contr. 1. num. 60.*

30. *Quer.* An, qui suscepit Sacramentum aliquod vivorum in peccato mortali, recipiat gratiam illius Sacramenti, quando ex eius corde recedit culpa vel per contritionem, vel per confessionem? *Resp.* Negative, nisi forte non recordatus fuisset de illo peccato mortali, & sic inculpabiliter Sacramentum suscepisset; idcirco cum Sacramentum sacrilege suscipitur, ex eo gratiam consequi nullo tempore suscipiens potest; excepto baptismo; in quo, si adultus baptizatus non doluit de peccatis in actu baptismatis, gratia suspenditur, donec, & usquequò doleat de iisdem. *cap. Tunc valere, d. consecrat. dist. 4. Coton. ubi supra num. 61.*

CAPUT CXV.

De Baptismo.

1. *Quer.* Quid sit Baptismus? *Resp.* Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Catechil. Roman. *de Baptism. sect. 5.* Sive Baptismus est exterior hominum cum aqua, & certa verborum forma ablutio, originarium peccatum delens. Cucchus *instit. major. lib. 5. tit. 2. num. 3.*

2. *Quer.* Quotuplex sit Baptismus? *Resp.* Est triplex: Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptismus Fluminis est ille, qui supra definitus est, & conficitur aqua, & verbo. Baptismus Flaminis est, cum quis summo desiderio ardens baptismo regenerari; interim, antequam baptizetur, obiit; & hic baptismus parvulis non convenit. Sanguinis baptismus est, ubi quis ante baptismum, ob Christi fidem mortem est perpeffus; & hic convenit etiam parvulis, si occidantur in odium Christi; ut Sanctis Innocentibus accidit; vel si Mater, quæ Christi fidem nolle ejurare, pleno utero necaretur. Cucchus *ubi supra num. 19 & 20.*

3. *Quer.* Quæ, & quot requirantur ad conficiendum Baptismum? *Resp.* Tria requiri, Materiam, Formam, & Intentionem, tam in Ministro baptizante, quam in suscipiente, si adultus sit. Coton. *lib. 2. contr. 2. num. 1.*

4. *Quer.* Quenam sit materia Baptismi? *Resp.* Hæc est duplex, Remota, & Proxima. Materia remota est Aqua pura, naturalis, elementaris. Scotus in 4. *dist. 6. disc. 3. quest. 3.* Materia proxima est Ablutio formaliter, & activè sumpta, prout à baptizante procedit. Coton. *dict. contr. 2. num. 10.*

5. *Quer.* An sit materia sufficiens Baptismi aqua resoluta ex sale? *Resp.* Quod negat Coninch. *de Sacram. quest. 66. art. 4. dub. 1. num. 22.* sed affirmat Diana *part. 3. tract. 4. res. 5.* Distinguit Card. de Lugo *lib. 2. cap. 1. quest. 3. num. 23.* casum necessitatis à caluextra necessitate; adeo ut in primo possit cum aqua salis baptizari sub conditione; in secundo non possit; & sic tenet Coton. *ubi supra n. 3.*

6. *Quer.* An baptizari liceat in nive, glacie,

cie, vel rore, *Resp.* Quamdiu concreta sunt, non licere, ubi verò fuerint resoluta, licere, quia substantialiter sunt aqua. Coton. ex doctrina Scoti ubi supra num. 3. Qui notat, plurimos tenere, non esse baptismum, si resolutio fiat non in manibus baptizantis, sed in corpore baptizati; eò quia ablutio sumitur, ut activa, prout supra dictum est; quamvis contrarium teneat Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 20. sect. 2. docens, abluionem posse sumi etiam uti passivam; & utramque opinionem reputat probabilem Diana part. 5. tract. 3. ref. 3.

7. *Quer.* An sit materia sufficiens vapor sursum emergens ex olla, & adhærens operculo; & sudor, qui flante Aëtro fluit ex parietibus, & lapidibus? *Resp.* Affirmativè, quia ea substantialiter aqua sunt. Diana part. 3. tract. 4. resol. 5. Coton. ibid. num. 5.

8. *Quer.* An liquor, qui fluit ex vitibus, vel arboribus, sit sufficiens materia? *Resp.* Negative, quia non est aqua, sed succus. Diana & Coton. ibid.

9. *Quer.* Quid dicendum est de cerevisia, jusculo, seu brodio, lixivio, & aqua rosacea? *Resp.* Quòd hæc materiæ sunt dubiæ; & extracalum necessitatis nullatenus adhibendæ. Porro in casu necessitatis docent omnes Doctores, quòd adhiberi possunt in conditione, si est materia apta; & remoto periculo, reiterandus est baptismus in materia certa, sub conditione, si non es baptizatus. DD. apud Card. de Lugo lib. 2. cap. 1. num. 30. Coton. ubi supra num. 6. & 7. Novissime Florentin. de Homin. dubiis baptizandis disp. 4. sect. 13. num. 2. & 3. ubi id admittit etiam ad succos frondium, & herbarum in casu necessitatis, & sub conditione; quia, ait, ut succurratur animarum periculo, nulla sit injuria Sacramento. Sed extra necessitatem nunquam licet. Cardenas in Crisi differt. 2. num. 43. Vide meas Decisiones Anni 1688. Mense Martio, ubi de materia Baptismi.

10. *Quer.* An extra casum necessitatis licitum sit uti omni aqua elementari? *Resp.* Negative, sed ea, quæ benedicta sit juxta ritum Missalis, sub pœna mortalis peccati, ut contra Quintanadven. docet de Lugo lib. 2. cap. 6. num. 15. & Diana part. 9. tract. 6. resol. 33.

11. *Quer.* Quibus, & quot modis fieri possit ablutio in Baptismate? *Resp.* Tribus modis; nempe Aspersione, Immersione, & Infusione aquæ; & hac communiter utitur Ecclesia Latina; quamvis traditum sit, Apostolos in principio Ecclesiæ baptizare consuevisse per asperisionem, ac per immersionem. Diana part. 5. tract. 3. ref. 19. & part. 10. tract. 16. ref. 20. Coton. ubi supra num. 11.

12. *Quer.* An esset Baptismus, si quis puerum projiceret in puteum, dicendo: *Ego te baptizo &c.* *Resp.* Quòd esset baptismus validus, quamvis illicitus, dummodo projiciens, formam proferret verborum. Ideò non esset validus, si quis formam proferret super puerum aliunde cadentem in puteum. Coton. ibi num. 11, ubi advertit, quòd etiam esset Baptismus, si quis videns aquam ex alto cadentem, ad-moveret illi puerum, & formam proferret.

Legantur d. meæ Decisiones Anni 1688. Mense Martio Quæst. 1. ubi pro utraque opinione habentur DD. & rationes.

13. *Quer.* An validè baptizaret, qui cum digito in aquam immerso inungeret Baptizandum? *Resp.* Affirmativè, quia per hoc homo verè dicitur ablutus, quod fit etiam, si sola gutta aquæ eum tangat. Diana part. 3. tract. 4. ref. 5. & part. 5. tract. 3. ref. 5. Coton. ubi supra num. 13. Ubi cum DD. allegatis notat, id extra casum necessitatis non licere.

14. *Quer.* Qua corporis parte abluì oportet Baptizandum? *Resp.* Quòd extra necessitatem debet alicui in capite. cap. Postquam vos, de consecr. dist. 4. In necessitate verò quælibet corporis pars est abluenda; sed amoto periculo est repetendus Baptismus sub conditione, ut mandat Rituale Romanum sub tit. de Baptis. Coton. ubi supra num. 14. & Cardenas d. Differt. 2. num. 2.

15. *Quer.* An sit reputandus validus Baptismus, si ablutio fiat in capillis, in unguibus, in umbilico, vel secundina? *Resp.* Discordes esse Theologos in opinione. Conveniunt omnes, rem esse dubiam, prout si ablutio caderet in vestibus, chirothecis, vel pileo baptizandi; ideò in casu necessitatis pro affirmativa esse tenendum; extra verò nunquam sic esse abluendum, imò taliter antea baptizatum sub conditione esse rebaptizandum. Coton. d. lib. 2. Controvers. 2. num. 15. ubi DD. Cardenas. ubi prox. & dictæ meæ Decisiones de Baptismo ad Mensem Martium Quæst. 1.

16. *Quer.* Quænam sit forma Baptismi? *Resp.* In Ecclesia Latina hanc esse formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Coton. ibid. num. 16. ubi advertit, ly *Ego* non esse de essentia, quia tacitè inest in verbo; nec ly *In*, prout *Et*; sed consultò o-mitti non posse absque mortifera culpa. Idem Coton. num. 22.

17. *Quer.* An teneat Baptismus, si dicere-tur in nominibus, vel replicaretur ter in no-mine, addendo scilicet illud ad unamquam-que personam? *Resp.* Esse hinc inde opinio-nes Doctorum; quorum major pars inclinât in negativam, ubi diceretur in nominibus, quia destruitur Unitas Divinarum Persona-rum; pro affirmativa verò major pars sentit, si replicaretur ly *In nomine*, quia non ponit plura nomina. Diana par. 2. tract. 17. ref. 15. Coton. ubi supra num. 17. Ego ipse d. Mense Martio quæst. 1.

18. *Quer.* Quænam sit forma Ecclesiæ Græ-cæ? *Resp.* Hæc est: *Baptizetur N. Servus Christi, In nomine Patris, &c.* Quæ sufficiens est, ut ait Coton. num. 20. dubius remanens circa for-mam Chaldæorum dicentium: *Baptizatus sit servus Christi &c.* Diana par. 10. tract. 16. resol. 91. & Mendel. in Luce fid. lib. 12. cap. 7. num. 11.

19. *Quer.* An valida sit forma Dalmata-rum dicentium: *Ego de Christizo, vel Ego te Chri-stianum facio?* *Resp.* Affirmativè, si hæc verba apud eum populum significant *Ego te abluo, vel te baptizo*; quia sensus non est desumen-dus à natura verborum, sed ab usu regionis. Card. de Lugo lib. 1. resp. mor. dub. 3. Card. Pallavic. in lib. de Sacram. num. 18. Coton. ubi supra num. 18. & 21.

X 2

20. *Quer.*

20. *Quer.* Quodnam sit subjectum Baptismi? *Resp.* Est homo nondum baptizatus. *Coton.* ubi proxime num. 24. ubi ait, plures homines posse unica vice baptizari, dicendo: *Ego te baptizo*; sed id extra necessitatem facere, esset mortale. *Scotus in 4. dist. 6. qu. 2. §. Respond.*

21. *Quer.* An monstra sint baptizanda? *Resp.* Utiq; esse baptizanda, si speciem humanam habeant. *Cotonius ibid. num. 26. ex Diana part. 9. tract. 6. resol. 30.* ubi, quod si duo capita, & duo pectora haberent, ita, ut credi possint duo homines, deberent seorsim, in unoquoque capite, baptizari. Si verò non duo capita, sed multiplicata alia membra, deberent toties sub conditione baptizari, quot corpora humana esse præsumerentur. Sed curiosus Lector videat meas Decisiones de Baptismo Anno 1688. Mense Octobri, *Casu primo*, ubi tractavi de omnibus speciebus Monstrorum, & docui, quinam sint capaces Baptismi.

22. *Quer.* An infans sit baptizandus in utero matris in casu necessitatis? *Resp.* Affirmative, si ablutio in eum aliquo modo pertingere potest. *Diana part. 3. tract. 15. res. 43. & part. 5. tract. 3. res. 12.* *Coton.* ubi supra num. 27. ubi respondet textui in cap. Qui in matris, de Consecrat. dist. 4. ubi dicitur: Quod qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest; nam textus intelligitur, ubi ablutio ad infantem descendere non posset. *Florentin. d. tract. de Baptismo abortivorum. disp. 4. sect. 10.*

23. *Quer.* Cujus temporis debeat esse foetus, ut sit capax Baptismi? *Resp.* Secundum communem opinionem, foetus masculinum esse debere dierum 40. foemininum verò dierum. 90. Quia eo tempore infunditur in foetum anima rationalis, & ab ea contrahitur culpa originalis. *Narbona de Estate Anno primo, q. 2. num. 37. & quest. 4. num. 3.* Sed *Florent. d. tr. de Baptismo Abortiv. disp. 2. sect. 1. & seqq.* probat, Medicorum plurimos tenere, quod animatio foetus multò prius fiat; & dict. sect. in fine, refert testimonium Cherchingii Medici Amstelodamensis, qui anno 1671. expertus fuit, foetum trium, vel quatuor tantum dierum animatum fuisse; unde idem *Florentin.* ibidem tenet, foetum 40. dierum esse absolute baptizandum; foetum verò trium, vel quatuor tantum dierum esse omnino baptizandum, sed sub conditione, si homo vivens existat; quod pluribus, iisque luculentissimis rationibus, juribus, & argumentis probat in prædicto suo tractatu de Baptismo Abortivorum. Vide *Zacchiam in QQ. Medicoleg. p. 2. lib. 9. tit. 1. quest. 1. num. 5.* ubi probat, Animam rationalem à Deo tum primum creatam, & infusam in ipso primo conceptionis momento præsentem esse. Lege etiam *Cardenam in Crisi Dissertat. 22. num. 6. & num. 69.*

24. *Quer.* An Mater prægnans teneatur pati scissionem uteri, & foetus baptizetur, si de ejus abortu, & periculo animæ dubitetur? *Resp.* Negative, etiamsi ipsa mater esset proxima morti. *Pax Jordan. tom. 1. lib. 5. tit. 9. num. 23. ex DD. ibid.* per eum allegatis; sed ea mortua, scindendus erit uterus, & partus

extractus, si vivus fuerit, baptizabitur. Sic autem fuit extractus *Julius Caesar* primus Imperator Romanorum, à quo cæteri Imperatores denominantur Cæsares. *Gloss. in verb. Caesar. in Proem. Instit.* Et sic extractus fuit *S. Raymundus Nonnatus*, cujus hodie festum, & officium gerimus. *Brev. Rom. lect. 4.* Porro de sectione uteri Matris viventis disputavi in dict. meis Decisionibus de Baptismo Mense Augusto cap. 2. quas studiosum legisse delectabit, & juvabit.

25. *Quer.* An filii Judæorum, invitis parentibus, sint baptizandi? *Resp.* Negative, si sint parvuli, nec rationis capaces. *Gratian. Discept. Forens. cap. 658. num. 31. Paschal. de Patria potest. part. 1. cap. 7. num. 3.* Quod si sint doli capaces, & velint baptizari, baptizandi sunt, invitis parentibus, ut fecit *Paravii Eminentissimus Cardinalis Barbadius Episcopus* non semel, ob ejus insignem pietatem in Deum, & zelum animarum. *Tondut. Quest. benef. part. 1. cap. 48. num. 5. & 6.* ubi addit, quod si mater esset ad fidem conversa, vel avus, & eorum alter peteret baptizari parvulum, esset baptizandus invito patre. Porro in articulo mortis parvulos filios infidelium, invitis parentibus, posse baptizari, docere videtur *Coron. dict. cap. 2. num. 31.* quod absolute tenet *Diana part. 2. tract. 15. res. 45. & part. 5. tract. 3. resol. 10.* eò quia tunc non reputantur amplius in potestate parentum, cum id, quod parum distat, nihil distare videatur. Sed *Nicol. Elucubrator. Canonie. lib. 1. tit. 1. num. 7.* ait, Romæ, ubi omnes in rebus fidei normam debent accipere, hanc opinionem non esse in usu; quamvis notet, in quadam particulari Congreg. die 28. Januarii 1637. juxta dictam opinionem fuisse resolutum. Vide hoc Questum à me examinatum in Decis. de Baptismo Mense Septembri *Quest. 1.*

26. *Quer.* Quando filii infidelium dicantur doli capaces pro admittendis ad Baptismum? *Resp.* Ubi expleverint septennium. *S. Congregat. Concilii die 16. Februarii 1639.* quam refert *Nicol. ubi supra num. 7. Coton. d. cap. 2. num. 30.*

27. *Quer.* Quæ intentio requiratur in Baptizando? *Resp.* Suscipiendi, quod Ecclesia confert; & sufficit, si talis intentio sit habitualis: unde dormientes, furiosi, & amentes sunt baptizandi, si constet ante somnum, vel furorem voluntatem baptismi habuisse, eamque non mutasse. *cap. Majores, de Baptismo. Coton. ubi supra num. 28.* ubi addit ex DD. quod talis furiosus poterit ligari, ut baptizetur.

28. *Quer.* An in adulto, præter dictam voluntatem, requiratur alia dispositio? *Resp.* Requiritur fides circa præcipua mysteria Christianæ Religionis, & dolorem peccatorum; sed non ad validitatem, verum ad fructum Sacramenti. *Coton. ubi supra num. 33. & 34.*

29. *Quer.* Qualis dolor requiratur? *Resp.* Saltem attritio, quæ est sufficiens in Sacramento Pœnitentiæ. *Coton. ibid. num. 34.*

30. *Quer.* Quid agendum cum adulto infideli muto, & surdo à nativitate? *Resp.* Esse instruendum omni meliori modo circa fidem, & dolorem, & dein baptizandum. *Coton.*

ton. ubi supra num. 35. ubi addit, quod si talis esset etiam cæcus, posset baptizari tanquam infans, quia carens discursu, & phantasmate, remanet tanquam modo genitus, & omnino parvulus. Naturam, & species Mutorum si scire cupis, lege meas Decisiones de Penitentia decis. 22. per totam.

31. *Quer.* Quis sit minister Baptismi? *Resp.* In casu necessitatis quilibet homo; tam vir, quam foemina; tam fidelis, quam infidelis, cum hac tamen distinctione, ut dignior semper præferatur, id est, fidelis infideli, vir mulieri, Clericus laicis, & Clericis Parochus; adeo ut mortale sit, si Clericus coram Parocho vellet baptizare; vel Laicus coram Sacerdote, vel Diacono. Coton, *dict. lib. 2. contr. 2. cap. 3. num. 39.*

32. *Quer.* An præsentem Parocho excommunicato alter Clericus, vel inferior non excommunicatus possit baptizare? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; sed affirmativam prævalere, quia censura privat Parochum administratione Sacramentorum extra casum necessitatis. DD. apud Coton, *ibid. num. 40.*

33. *Quer.* An Pater possit baptizare filium periclitantem, aliis præsentibus? *Resp.* Utramque opinionem esse probabilem; sed extra necessitatem si baptizaret, amitteret jus petendi debitum, ob contractam spiritualem cognationem cum uxore. *cap. Ad limina. cap. Nolle. cap. Dictum est 30. qu. 1.*

34. *Quer.* An in necessitate possit Baptismus ministrari à duobus, uno abluciente, altero proferente formam? *Resp.* Negativè. S. Thom. 3. part. *quest. 67. art. 6. Diana part. 3. tract. 4. resol. 11. part. 5. tract. 3. resol. 26.* Coton, ubi supra num. 43. etiam si diceretur: Nos te ablucimus, seu Baptizamus, quia non uterque ablucet. Sed non videtur contingibilis iste casus, nisi unus esset mutus, & alter sine brachiis. Cucchus ubi supra num. 79.

35. *Quer.* Si sit Baptismus, ubi plures ablucant, & singuli formam proferant? *Resp.* Esse rem dubiam, si loquantur in plurali, nos te baptizamus; quia sicut unus est auctor baptismi Christus, sic per unum ministrum est representandus. Quod si quilibet dicat, ego te baptizo; ille baptizabit, qui primò actionem complebit. Si tamen simul terminent, adhuc res est dubia; & baptismus veniret repetendus. DD. apud Coton, *dict. controvers. 2. num. 44. & 45.*

36. *Quer.* Quis possit solemniter baptizare? *Resp.* Parochus, & de ejus commissione quilibet Sacerdos, ac etiam Diaconus. Coton, *ibid. num. 46.*

37. *Quer.* An Diaconus in casu necessitatis absque commissione Parochi possit baptizare solemniter, vel debeat privatim tanquam Laicus? *Resp.* Quod possit solemniter, affirmat Suarez apud Dianam *part. 5. tract. 3. resol. 28.* Negant alii ob *cap. Diaconus 13. dist. 92.* ubi id videtur in necessitate eis permittere, sicut & laicis Christianis, sed ii non possunt solemniter baptizare. Porro crederem, quod posset solemniter baptizare, cum ordo ejus tale officium concedat, quod etiam de Eucharistiæ administratione dicit idem Text. in *cap. Diaconos.* Coton, ubi supra num. 47. qui

num. 49. id extendit etiam ad Monachos, & alios Regulares in dicto casu necessitatis.

38. *Quer.* An Laicus possit solemniter baptizare ex dispensatione Pontificis? *Resp.* Affirmativè, quia solemnitas est juris humani. Coton, *ibid. num. 48.*

39. *Quer.* An Hæreticus, & Infidelis baptizando validè baptizet? *Resp.* Affirmativè, ubi intendat facere id, quod facit Ecclesia: imò dicentes contrarium anathemate feriuntur à Concil. Trident. *sess. 7. de Baptismo can. 4.*

40. *Quer.* An Angeli, & Animæ Sanctorum possint baptizare? *Resp.* Tale munus ad eos non spectare; quod si contingeret, ab eorum aliquo baptismum dari, credendum esset, validè dari, dum ex divina permissione id certe facerent. Cucchus *dict. lib. 5. Instit. major. tit. 2. num. 74.* Vide DD. in meis Decisionibus de Baptismo *Mense Majo quest. 2.* ubi etiam de Dæmone, & de dæmoniacis.

41. *Quer.* An unus possit plures simul, & semel baptizare? *Resp.* Affirmativè secundum S. Thomam, dicendo, ego vos baptizo, & eos aqua aspergendo, sed in casu necessitatis; non autem extra. Idem Cucchus *ibid. num. 77.*

42. *Quer.* Quæ dispositio requiratur in ministro Baptismi? *Resp.* Debet habere intentionem, statum gratiæ, notitiam materiæ, & formæ, seu ritus. Coton, ubi supra num. 50. qui num. 51. subdit, esse Pastoribus animarum advertendum, ut curent, obstetres edoctas esse formam baptismi, saltem lingua vernacula ob periculum parvulorum morientium.

43. *Quer.* Quo loco sit administrandus Baptismus? *Resp.* Extra necessitatem non potest administrari, nisi in Baptisterio Ecclesiæ Parochialis, exceptis filiis Regum, & Principum. Clem. *Unica de Baptismo*; ubi Glossa per filios intendit etiam Nepotes, quod approbat Fagnan. in *cap. Extramissa num. 15. & 16. de Filiis Presbyter. tom. 2. pag. 241.*

44. *Quer.* An nomine Principum veniant omnes Magnates, Duces, Comites, Marchiones, Præfides, Proreges, & similes? *Resp.* Negativè; sed tantummodò illi, qui supremi sunt in Principatu, vel auctoritate, ut Monarchæ, vel dignitate, ut Duces Reipublicæ Venetæ, & Genuensis. Diana *part. 9. tract. 6. resol. 38.* Coton, ubi supra num. 53.

45. *Quer.* An Episcopus poterit ipse baptizare in domo privata filios non Regum, & non Principum? *Resp.* Negativè, quia textus utitur voce illa negativa, *Ne quis*, quæ appellatur malignæ naturæ, & destruit omnem potentiam. Pax Jordan, *tom. 1. lib. 3. tit. 1. num. 17.* ubi num. 14. notat, remanere in Episcopo facultatem arbitrandi circa qualitatem Principatus, & declarandi, an comprehendatur, vel non, in prohibitione Clementina; quod docet etiam Riccius in *Praxi Neapolit. resol. 427.*

46. *Quer.* An Baptismus possit dari domi ad evitandam infamiam matris, vel aliquod aliud grave periculum? *Resp.* Affirmativè. Jordan, ubi supra num. 18. & videtur de mente Clementinæ, quæ casum necessitatis excipien-

piendo dicit: Aut talis necessitas emerit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi: Et in prædictis casibus baptismus dabitur domi cum omnibus caeremoniis. Jordan. ubi supra num. 16.

47. *Quer.* Quam culpam incurreret, qui contra dictam Clementinam baptizaret domi? *Resp.* Quod peccaret mortaliter, prout etiam, si baptizando Parochus in Ecclesia omitteret aliquem ritum à Rituali præscriptum, vel lingua vernacula ipse uteretur. DD. apud Coton. num. 54. 56. & seqq.

48. *Quer.* An dato Baptismo domi absque solemnitatibus, sint illæ postea supplendæ in Ecclesia? *Resp.* Affirmativè, quod etiam intelligitur de baptizatis ab Hæreticis, quamvis Layman notet, id non servari in Germania, ne forte populus crederet, baptismum datum ab Hæreticis non esse baptismum. Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 8. & Card de Lugo cap. 6. num. 11.

49. *Quer.* An Baptismus possit reiterari? *Resp.* Negativè, & qui scienter rebaptizaret, vel rebaptizari permetteret, ultra alias poenas incurreret irregularitatem. cap. Afros, dist. 98. cap. Confirmandum, dist. 50. cap. Qui in aliquo, dist. 51. Ac etiam Acolythus, qui huic baptismum inserviret, cap. 2. de Apostat. Thesaur. de Penit. verb. Baptismus, cap. 1. part. 2. ubi subdit, quod rebaptizantes essent suspecti de hæresi, & Clerici deponendi, laici verò excommunicandi forent.

50. *Quer.* Quam poenam incurrat, qui, cum non sit Sacerdos, administrat solemniter Baptismum? *Resp.* Incurrere poenam irregularitatis. cap. 1. de Clerico non ordinato ministro, à qua solus Papa dispensat in promovendo; in promotio verò etiam Episcopus, ut ministret in susceptis. Majol. de Irregul. lib. 4. cap. 13. num. 3. Thesaur. ubi supra cap. 3. Quod loci excipit Diaconum, nam ex officio suo validè baptizat etiam solemniter, ut dictum est supra num. 37.

51. *Quer.* An liceat recipere Baptismum ab Hæretico? *Resp.* Negativè, imò sic baptizatus esset irregularis, & ad ordines non promovendus. cap. Qui in qualibet, 1. quest. 7. cap. Ventum, 1. quest. 1. Nisi baptizatus fuisset in infantia, vel in vitæ periculo constitutus. Thesaur. ubi supra cap. 5.

52. *Quer.* An liceat adultis differre suspensionem Baptismi usque ad senectutem, vel ad extremum vitæ? *Resp.* Negativè; & qui sic tardè fuerit baptizatus, remanet irregularis; adeo, ut ad ordines promoveri non possit, quia suspecta est ejus fides, & talis vocatur Clinicus. cap. Si quis in aegritudine, 57. dist. Thesaur. de Penit. Eccles. verb. Baptismus cap. 6.

53. *Quer.* An dicta Irregularitas tollatur cursu temporis, si constet de stabilitate in fide, & de vitæ probitate? *Resp.* Opinionem negativam esse magis communem; sed in tali casu esse petendam dispensationem ab Episcopo. Majol. de Irregul. lib. 3. cap. 8. Suarez de Censur. disp. 42. sect. 1. num. 6.

54. *Quer.* An extra dictum casum probationis fidei possit Episcopus dispensando promoveri Clericum ad Ordines? *Resp.* Negativè; quia solus Papa dispensat. Burgas de Ir-

regularit. part. 5. tit. de different. baptism. num. 4. Nisi adesset penuria Clericorum. Suarez ubi supra num. 6. & Thesaur. ibid. vers. Nota etiam.

55. *Quer.* An in baptismo privato, in casu necessitatis, sit adhibendus Patrinus? *Resp.* Non requiri in eo casu Patrinum, sed posse adhiberi; & si adhibeatur, contrahere cognationem. Coton. d. lib. 2. contr. 2. num. 66. & 67.

56. *Quer.* Quas debeant habere qualitates Patrini? *Resp.* Debeat habere usum rationis, non hæretici, aut infideles, sed baptizati. Coton. ubi supra num. 69. & seqq.

57. *Quer.* Si Catechumenus esset Patrinus in baptismo, an contraheret cognationem? *Resp.* Negativè. Diana par. 10. tract. 16. resol. 89. ubi cum doctrina Sancti Thomæ confutat contrarium scribentes, & cum Diana tenet Coton. ubi supra num. 71. & 72. qui num. 73. notat, si baptizetur filius infidelium, Patrinum non contrahere cognationem cum parentibus infidelibus dicti filii, quia non sunt capaces; nisi postquam venient ad fidem; quo casu attendenda esset cognatio. Sylvest. Verb. Matrimonium, 8. quest. 7. concl. 12.

58. *Quer.* An Monachi, & alii Regulares possint esse Patrini? *Resp.* Negativè, quia de Monachis est expressa prohibitio in cap. Non licet Abbati, de cons. d. 4. & in cap. Pervenit, 18. quest. 2. ad vitandum consortium illorum cum mulieribus. Et quamvis ceteris Regularibus id non esse prohibitum multi scribant, prout notat Coton. ubi supra num. 76. tamen attento Rituali Romano tenenda est opinio negativa etiam in ipsis; nam Rituale dicit: Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimonialia, nec alii cujusvis Ordinis Religiosi à seculo segregati.

59. *Quer.* Quot in baptismo possint esse Patrini? *Resp.* Unus, vel ad summum unus, & una. Concil. Trident. sess. 24. de Ref. cap. 2. Quod si plures vocentur, cognatio non contrahitur nisi à tangentibus puerum in fonte, ut mos est Venetiis, quod si omnes simul tangerent, omnes cognationem contraherent. Coton. ubi supra num. 82. & 83.

60. *Quer.* An simul maritus, & uxor possint levare alienum filium in baptismo? *Resp.* De honestate non posse; de rigore præcepti posse; quia præceptum non habetur, sed consilium in cap. Quod autem, 30. quest. 4. Coton. ubi supra num. 86.

61. *Quer.* An genitores ipsius baptizandi possint esse Patrini? *Resp.* Negativè. cap. 1. 2. & 4. 30. quest. 1. Quod si faciunt, peccant mortaliter, & privantur facultate petendi debitum, nisi eos excuset ignorantia juris, vel facti. Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 30. num. 1. Thesaur. de Penit. dict. par. 2. Verb. Baptismus, cap. 4. Vel nisi baptizent in casu necessitatis, tunc enim non amittunt jus petendi debitum, quamvis contrahant cognationem; quæ si ageretur de Matrimonio contrahendo inter ipsos Patrem, & Matrem baptizati, impediret, & dirimeret matrimonium. Sanchez lib. 7. disp. 62. num. 15. Thesaur. d. cap. 4. prope finem; ubi adjungit, Episcopum posse dispensare inter conjugatos, ut possint petere debitum, quamvis unus eorum baptizasset, vel Patrinus fuisset sui filii.

62. *Quer.*

Erot. Eccles. Cap. CXVI. De Sacramento Confirm. 169

62. *Quer.* An liceat Avo, vel Avix esse Patrimum in baptismo Nepotis, vel Neptis? *Resp.* Negative, quia & ipsi continentur sub prohibitione Patris, & Matris. *l. Jusla 201. ff. de Verb. Significat. Thesaur. ubi supra dict. cap. 4. Vers. Aliam esse rationem.*

63. *Quer.* Si quis suscipiat in Baptismo puerum per Procuratorem, à quo contrahatur cognatio? A mittente, vel à procuratore? *Resp.* Eam contrahi à mittente, non autem à procuratore; & sic decidisse S. Congregationem testatur Nicol. Lucubr. Civil. tom. 1. pag. 50. Moron. respons. 15. num. 39. Coton. ubi supra num. 90. & dicitur infra cap. 133. num. 34.

64. *Quer.* Si domi detur aqua puero, & deinde in Ecclesia fiant caeremoniae, quis contrahit cognationem, qui tenuit puerum domi, vel qui in Ecclesia? *Resp.* Contrahi ab eo, qui tenuit domi; nam inibi factum fuit Sacramentum. Moron. d. resp. 15. num. 38.

65. *Quer.* An possint esse Patrini duo Viri, unus nomine proprio, & alter substitutus à muliere? *Resp.* Affirmative. Naldus Verb. Cognatio num. 6. Diana part. 10. tract. 16. res. 29. Coton. ubi supra num. 91. ubi advertit, aliquos asserere, contrarium decidisse Sac. Congregationem; sed de tali decisione nullibi constat.

66. *Quer.* An contrahat cognationem ille, qui levavit de fonte filium Pauli, credens fuisse filium Petri? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed magis probabilem esse negativam; quia nemo debet cogi ad se unicum spiritaliter cum personis, de quibus nullo modo cogitavit. Franc. de Lugo de Sacram. Baptismi cap. 7. num. 6. Coton. ibid. num. 94.

67. *Quer.* An baptizans foeminam credens baptizare marem, valide baptizet? *Resp.* Negative. Zachias in QQ. Medicoleg. lib. 7. tit. 1. quæst. 8. num. 9. & ibi Petr. Gerard. singul. 90. num. 2. quod est notatu dignum.

68. *Quer.* Qui sint effectus baptismi? *Resp.* Baptismus valide susceptus imprimit characterem, habilitat ad suscipiendam alia Sacramenta, aufert infamiam, & Irregularitates omnes, præter bigamiam, & obligat ad observantiam legis Christianæ. Baptismus verò etiam digne susceptus dat gratiam, delet peccata tam originalia, quam actualia in adultis, & poenas temporales; concedendo virtutes gratiam comitantes. Coton. ubi supra num. 95. & ibi DD. & meæ Decisiones de Baptismo Mensis Aprilis quæst. 2. ubi duodecim effectus collegi, ac demonstravi.

69. *Quer.* An recipiat gratiam adultus, qui recipit baptismum sine dolore peccatorum? *Resp.* Non recipere; sed superveniente dolore, gratiam infundit. Coton. ibid. num. 95. & num. 98. Quod etiam supra tetigimus de Sacramentis in genere, & in præsentis tractatu de Baptismo.

70. *Quer.* An per baptismum condonentur etiam poenæ temporales, quæ vigore legum civilium essent inferendæ baptizato? *Resp.* Negative; quamvis ubi infidelis esset dictis poenis plectendus, & veniret ad fidem, rogandi forent Magistratus, ut dictas poenas remitterent. Cucchus Inst. major. d. lib. 5. tit. 2. num. 112.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

71. *Quer.* An Episcopus ex officio sit adstrictus, aliquando administrare Sacramentum Baptismi? *Resp.* Teneri baptizare in Sabbato Sancto, & in Sabbato Pentecostes ex officio, quando extarent Catechumeni, & adulti baptizandi, cap. Venerabilis. 17. de Consecrat. dist. 4. Jord. dict. tom. 1. lib. 3. tit. 1. num. 19. ubi notat, quod ubi non est multitudo adultorum baptizandorum, sed unus, vel duo tantum, potest eos Episcopus pro suo libito baptizare.

72. *Quer.* Quanam obligatio incumbat Parocho post expletam administrationem Baptismi? *Resp.* Admonere Paternos, & Parentes de cognatione contracta, & de eorum obligatione, ac ad notandum in libro proprio ipsam functionem baptismalem, cum nominibus filii baptizati, parentum ejus, ac patrinorum. Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. de ref. Rituale Roman. in calce libri.

73. *Quer.* Ad quid valeat Registrum, & notatio illa, quæ fit à Parocho? *Resp.* Ad probandam ætatem baptizati, ejus parentelam, & filiationem. Maicard. de Probat. conclus. 763. Genua de Scriptura privata lib. 5. tit. de libris Plebanorum qu. 1. & seqq.

74. *Quer.* In quibus differat Baptismus à Circumcisione? *Resp.* In tribus. Primo, quia Baptismus datur etiam foeminis; Secundo, aperit statim januam Cœli; Tertio, imprimit characterem, quæ omnia non conveniebant Circumcisioni. Fagnan. in cap. Majores, num. 38. & seqq. de Baptismo, tom. 5. pag. 324.

75. *Quer.* In quibus conveniat Circumcisio cum Baptismo? *Resp.* In tribus. Primo, quia salvabat à peccato originali. Secundo, quia dabatur tam parvulis, quam adultis. Tertio, quia sine illa tunc nullus salvari poterat, sicut nunc nullus absque Baptismo. Fagnan. ubi supra dict. num. 38. Alia plura Quæstiones utilia, & curiosa reperiet studiosus in dictis meis Decisionibus de Baptismo de Anno 1688.

CAPUT CXVI.

De Sacramento Confirmationis.

1. *Quer.* Quid sit Confirmationis Sacramentum? *Resp.* Esse Unctionem hominis baptizati, factam in fronte, in figura Crucis, cum Chrismate Sanctificato, à Ministro idoneo, cum intentione debita tam in ungendo, quam in ungente, sub certa verborum formula, significantem efficaciter ex institutione Divina Unctionem animæ per gratiam roborantem ad consistendum cum constantia fidem Christi. Ita Scotus in 4. d. 7. qu. 1. & Coton. lib. 1. Controv. 3. cap. 1. num. 1.

2. *Quer.* Quanam sit materia Confirmationis? *Resp.* Materia Confirmationis duplex est. Una remota, & est Chrisma, nempe Unguentum ex oleo, & balsamo ab Episcopo benedictum. Altera proxima; & est Unctio ipsius in fronte confirmandi. Coton. ubi supra num. 2. & est Text. in cap. 1. de Sacram. non iteran. & ibi Gloss. & DD. Tex. in cap. Unic. de Sacra Unctione. Jordan. lib. 3. tit. 2. num. 30.

3. *Quer.* An Apostoli usi sint oleo, & balsamo in administratione hujus Sacramenti, vel sola manuum impositione, ut videtur scri-

Y

scri-